DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ, ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVII. DECEMBRIS

M. IOANNE BAPTISTA MOREAV, Doctore Medico, Præside.

An formosæ fœcundiores? 981

FOECVNDITATIS & formæ nec diuersa natalia nec dissimilia principia, vnam integram & illibatam valetudinem velut vmbræ solem sequuntur. Illa secura fascini & magici carminis æternitati consulit & hominum propagationi, quorum generatio non est spontanea, sed ex mutuo maris & fœminæ concursu perficitur. Vtriusque aut alterutrius sterilitate perit beata illa generis humani custos fœcunditas. Nec omnis tellus quæuis semina concipit licet frugifera, neque ex quouis accepto semine genitalis ager fœcundatur. Nisi ambo ęquis iustisque conditionibus congrediantur, irrita fiunt connubia, salutaribus etiam astris inita. Vna sæpe salus à Medicina venit, quæ instar obstetricis Socraticæ dissidentia viri & mulieris temperamenta remotis impedimentis conciliat.

FOECVNDITATIS spes & ratio in optimâ constitutione & integritate viscerum principum posita est, à quibus prolifici seminis procreandi vis influit in genitalia. Par in virili & muliebri sexu ad generandum ἐπιτήδειος; in sequiori apparatus maior, nam & commodat vtrumque principium & exceptum promouet, fœtum alit & fœliciter excludit. Cùm specie non differant, inter se tamen commutari non possunt, nec in hermaphroditum commisceri. Fœcunda mulier est, non quæ plures fœtus vno partu, sed quæ sæpius vnum vitalem educat. Monstrum est πολυτοκία cùm gemellos exuperat. Exploranda fœcunditas, non inunctis croco oculorum angulis, non suffitu, sed accuratâ totius corporis temperie & speciosâ ac decorâ compositione.

PVLCHRITVDO flos & lumen corporis, blanda & momentanea tyrannis, amoris illecebra, singulare & maximè proprium muliebris naturæ ornamentum, non definitur harmoniâ, magnitudine corporis, aut commensuratione, sed aptâ & salubri partium omnium positione, laudabili εὐσαρκίᾳ, eleganti coloris suauitate exornatâ. Est quidem in toto corpore, sed in vultu præsertim lucet, qui vt morum index, & speculum humorum, ita vniuersi corporis norma & amussis, cùm ex eius commoderatione cæterarum partium ambitus & numeri constent. Totus homo in vultu est, & in eo cuiusmodi per sanitatem & inualetudinem futurus sit, legitur. Protei tamen instar colorem mutat pro variâ temporum, tempestatum & perturbationum animi ratione.

ESTNE pulchritudo ἀδορυφόρητος βασιλεία? minimè gentium. Quocunque se vertit sequuntur gratiæ, veneres, cupidines, sales. Nusquam est sine ingenio & animi lepore. Adstant virtutes, pudor, temperantia, pudicitia, μετριοπάθεια. Cùm spectatissima est suauissimus existit humorum concentus & laudatissima temperies. Ita sanguis spiritu cæterisque humoribus diluitur, vt permixta rosis lilia dixeris: Floridum est corpus, pulposum, molliculum, delicatulum, & velut ad tornum circinumque delibratum. Explendescit vbique, in oculis vibrantissima, quibus inest vis fascini amatorij, quo instar basilisci intuentes sæuo cupidine venenant. Cùm deest temperamenti benignitas frustrà conciliandæ formæ quęruntur colorum lenocinia. Nusquam fucus aut psimmythus Hecubam effecerint Helenam.

EX floridioribus plantis speranda vberior fructuum copia, vt ex mulieribus specie & forma florentibus numerosa soboles expectatur. Non alius formæ quàm fœcunditatis apparatus, principum partium optima διάθεσις, externarum gratissimus decor, menstrui sanguinis tempestiuę reciprocationes, membrorum genitalium constitutio inculpata concipiendo, fouendo, alendo fœtui. Quò salubriùs viuitur eò fuerit pulchritudo venustior, seminis elaboratio perfectior, valetudo fœtus integrior. Plerumque superueniente fœturâ forma intenditur, extenuatur sterilitate. Caue λαγνείαν confundas cum fœcunditate & cum pulchritudine πολυσαρκίαν. Salacitate steriles fiunt vteri & carnium mole fœcunditas obruitur. Tam conciliatur amor formâ, quàm amore fœcunda redduntur connubia. Vis verbo? vt temperatiores formosæ, sic generandę proli meliores.

Ergo formosæ fœcundiores.

Proponebat Lutetiæ IOANNES DE BOVRGES, Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XLVIII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Nicolaus Richard.
M. Petrus le Mercier.
M. Claudius Guerin.
M. Petrus Yuelin. M. R. & Sch. Pr.
M. Mathurinus Denyau.
M. Franciscus le Vignon.
M. Iacobus Iouuin.
M. Hermannus de Launay.
M. Philippus Harduin de S. Iacques.